



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput I. a Augustinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

tit. tunc propter periculum quod in se suscipit creditor, rectè potest aliquid accipere, dum tamen non obliget ipsum debitorem ad contractum illum assecurationis celebrandum; quia tunc usura committitur, siquidem usurarius contractus censetur ille, in quo debitor ultra sortem obstringitur aliquid emere, vendere, locare, etiam iusto pretio, quod facere minimè tenebatur. Covar. lib. 3. variar. c. 2. nu. 5. Leothardus dist. quest. 23. n. 6. Vnde existimo Gregorium in presenti improbare nauticum fœnus prout iure civili receptum erat, quia simul cum ipso mutuo usura promittebatur, et si periculi subeundi facta mentione; non autem improbare Gregorium contractum assecurationis, cum per se, & separatim celebratur, nulla ratione habita mutui, sed periculi suscipiendi: & ita presenti constitutione sublata sunt usurae palliatae, quae facile committebantur, eo quod multi non inveniuntur gratuitos mutuatores, qui sine lucro vellent sibi mutuari, sivebant se velle trajicere pecuniam mutuam in alias provincias longin-

quas, & petebant à mutuantè assecurationem pro certo pretio: unde deducit Gregorius prudentissimè praesumptionem, quod iste sic mutuantem pecuniam traiciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretium, est censendus usurarius: quia praesumitur quod vi mutui vult illud pretium extorquere absque necessitate assecurationis; ideoque fœtan Pontifex non dixit, *Est usurarius*; sed, *Censendus est usurarius*. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam fateor ob periculum pecuniae traiciendae aliquid recipi posse, sed extra mutuum, ratione periculi, & alterius contractus seorsim celebrati; nam aliàs fœnus nauticum fœnus est, & mutui ratione usuras recipit, quod sacris canonibus omnino improbatum; quare etiam subducta hac Gregorij constitutione, puto nauticum fœnus, & maritimas usuras esse prohibitas, & contineri sub generali illa prohibitione, quae omnis usura iure divino, & Pontificio prohibita est, ut si deficeret hæc constitutio, adhuc nefas esset fœnus nauticum exercere,

TITULUS XX.

De crimine falsi.

CAPUT I.

Augustinus.

Falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primum b Deo, cuius praesentiam contemnit; inde c judici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio d laedit. Vterque e reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

NOTÆ

Augustinus.] Ita etiam legitur in prima collectione. Sub hoc tit. cap. 1. & ex eodem Sancto textus hic citatur à Burchardo lib. 16. Decreti, cap. 12. Gratiano in cap. quisquis 80. i. 1. quest. 3. Sed inter opera Divi Augustini non reperiuntur verba in presenti relata: extant tamen apud D. Isidorum lib. 3. sentent. cap. 55. de testibus, ut iam notantur Ant. August. in presenti; Aldrete in antiquit. Hispan. lib. 2. cap. 11. Integrum caput D. Isidori transtulit, ut facilius praesens textus intelligatur. Et si mendacii oratoris dicitur, quanto magis si venale quaritur: neq; enim decet multiplex conventus falsorum, si tanta praesentia sit nummorum. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius. Primum Deo, quem perjurando contemnit; secundo judici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio laedit. Unum pene crimen habent, & qui falsitatem promittit, & qui supprimit veritatem: quia ille obesse vult, & iste prodesse non vult. Pejor est testis, qui laedit, quam qui praestare non vult. Nam ille malignus est, iste inutilis. Testibus falsis conjunctis tarde mendacii falsitas reperitur. Quod si separati fuerint, examine judicantis citò manifestantur. Nam sicut in unitate pravorum grandis est fortitudo, ita in separatione major infirmitas. Fraudulencia citò reprehenditur mendacium; falsidicorum enim testimonium

sibi non convenit. Iniquus testis, quamvis sua falsitate corpori, rebusque impediat, animo tamen nihil damni confert. Erit autem ille apud Deum condemnatus, qui adversus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solum ille reus est, qui falsum de alio profert; sed & is, qui citò aurem criminibus praebet: qui meru potestatis veritatem occultat, eiusdem veritatis iracundiam sibi caelitus provocat: quia plus pertimescit hominem, quam divinam trepidat indignationem. Beatus cuius testimonio innocens ab scelere obiecto purgatur: impius cuius proditione etiam iniquus perimitur. Neque enim decet Christianum morti obnoxium prodere, & ad effundendum sanguinem infelicitum vocem testificationis praebere. Sermo enim iusti hominis tantum ad ministerium debet esse salutis; ira enim indignationis, & tribulationis, & immisionis per angelos malos. In hoc capite agitur de testibus falsis, de quibus, eorumque pœnis egi in can. 74. Concilij Illiber.

b Deo.] qui praesens est omnibus actibus humanis: quare ob peccatum ita perpetratum illi poenitentia in iungitur. Facit lex ultima in fine, tit. 12. par. 3.

c Iudici.] Vnde ab eo extraordinariè puniri potest lite pendente, l. nullum, Cod. de testib. causâ verò finitâ ad instantiam accusatoris: & si aliàs sit incompetens, ex eo, quod testis falsus deliquit coram ipso falsum deponendo, sit competens; secus

secus verò si sit incapax, ut laicus respectu clerici; quia tunc illum punire non valet, ut pluribus relatis docet Barbosa *in present.*

3. d. *Ledit.*] Unde talis testis falsum perhibens testimonium, vel negans quod scit, tenetur parti laesae omnia damna restitueret. Toletus *lib. 5. summa, cap. 59. num. 5.* Item si iudicè interrogatus verum celavit, tenetur etiam ad restitutionem damni, quod patitur alter ex veri occultatione, ut alii relatis resolvunt Diana *part. 3. tract. 5. resol. 54.* & 4. *part. tract. 4. resol. 99.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 13. dub. 10.* & *cap. 31. dub. 8.* Ferro Manriq. *de differt. viri in q. fori. quæst. 117.*

4. e. *Uterque reus est.*] Consonat lex 1. §. cum. lex si quis obreperit. ff. ad leg. Corn. de falsis, lex 8. Cod. de Episc. & cleric. ibi: Presbyteri si hoc ipso, quod nihil metuunt, vera in testimonio dicendo suppresserint, salva esse debet actio litigatoribus. Faciunt Plautus *in Querulo.*

— Pejerat, sæpe qui tacet;
Tantum est enim verum tacere, quantum & falsum dicere.

Ammianus Marcel. *lib. 29. hist.* Fallere non minus videtur qui gesta praterit sciens, quam ille, qui nunquam facta fingit. Alconius 3. in Verrem: Iurati testes produci solent non solum ne falsa dicant, verum etiam ne que vera sunt, taceant. Cicero *lib. 3. offic.* Quamquam in alia questione non videtur neq. ille celare debuisse: nec enim id est celare, quicquid reticeas; sed cum quod tu scias, id ignorare emolumentum causâ velis eos, quorum inter sit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, & cuius hominis, quis non videt? Certe non aperti, non simplici est, non ingenui, non iusti, non viri boni: versuti potius, obscuri, fallacis, malitiosi, calidi, veteratoris, vafri. Nec contrarium probat textus in cap. ne quis arbitretur 22. quæst. 2. quem rectè exponit glossa ibi, dum ait, taceri veritatem posse impunè, & citra metum, si ex alia causa, quam testimonij id fiat. Sicque accipit textum illum, secus verò si rogatus, accitusque testis, quod in vero est, suppresserit: quo casu procedit præsens textus. Nec etiam obstabit si dicas, eos in legem Corneliam de falsis incidere, qui ob non dicendum testimonium pecuniam acceperunt, l. 1. §. sed & si quis. ff. ad leg. Corn. de falsis. Ergo illi, qui nullam pecuniam acceperunt, et si verum testimonium suppresserint, ut falsi testes non tenentur. Nam respondeo, sequelam hujus argumenti non rectè deduci, quia in eodem textu dicitur, in legem Corneliam eum incidere, qui ob dicendum testimonium pecuniam accepit: non tamen inde sequitur, eum qui pecuniam non accepit, si falsum testimonium diceret, à crimine immunem esse. Oppositio autem, quam dicta lex prima admittit, talis est: Si quis ob non dicendum testimonium pecuniam accepit, in legem Cornel. incidit: Ergo qui nullam accepit, si surgere testimonij perhibendi causâ recuset, non incidit in legem Corn. Ratio est quia non potest videri falsum commississe, qui omnino testimonium dicere noluit: at qui surrexit testimonij dicendi causâ, & verum suppressit, à falso testimonio immunis non videtur.

5. Etiam lege Cornelia de falsis tenetur, qui ad falsas testationes faciendas, testimoniove falsa invicem dicenda coierit. l. lege 9. §. pœna 3. ff. de falsis, §. Corn. l. 2. ff. de concess. & qui testimonia falsa instruxit, l. 1. in princip. & §. l. falsi 20. ff. ad leg. Corn. de falsis. Paulus *lib. 5. sent. tit. 25. §. 2.* Apud Licinum Rufi-

num *tit. 8. de falso testimonio, §. 1.* ita inquit Paulus *lib. singulari de pœnis omnium legum, sub tit. de lege l. de adult.* Qui falsum testimonium dixerit, perinde tenebitur, ac si lege Cornelia testamentaria damnatus esset. Item qui ob denunciandum verum, vel non denunciandum falsum pecuniam accipit, lege Julia Reperundarum tenetur, l. lege 6. in princip. ff. ad leg. Jul. repetund. tenereturque ex capite de sicariis, si falso testimonio id egit, ut homo occideretur, & si humilior sit, in crucem tollitur, aut bestis subijcitur; si honestior sit, capite damnatur. Paulus apud Licinum *d. tit. 8. l. 1. §. praterea ff. ad leg. Corn. de sicar. l. 1. tit. 8. parit. 3.* Qui falso, vel variè testimonia dixerunt, competerent ad iudicium puniri solent, l. qui falso 7. ff. de testibus, c. nihilominus 16. 3. quæst. 9. Eo casu lege Moyfi datâ pœnâ talionis erat. Deuteron. *cap. 19. vers. 15. Danieliscap. 13.* refert Josephus *lib. 4. antiquit. cap. 6.* meminit Licin. Rufin. *d. tit. 8. lex septempartita 6 tit. 7. part. 7.* transcripsit lex 1. §. ult. ff. de falsis. Sed de pœna falsi testis singulari loquuta fuit lex 26. tit. 11. parit. 3. Testis falsus in negotio civili repedit parti interesse, & criminaliter de falso accusari potest. Si tamen in criminali, & propter suum testimonium alter occisus, vel mutilatus fuerit, eandem pœnam patitur secundum legem Moyfi. Lex 83. Tauri, quæ est lex 4. tit. 17. lib. 4. recop. sancitum fuit, ut quamvis pœna ex falso testimonio imposita non fuisset accusato; tamen talionem falsus testis subiret, quia quantum in se fuit, fecit ut imponeretur. Hoc ubi dictum fuit testimonium in delicto, pro quo infligenda erâ pœna capitis, aut amputationis membri; in reliquis iuber servari dispositiones regni: in cæteris causis civilibus si criminaliter agatur, quinta pars dentium testievellenda erat, l. 3. tit. de las falsedades, lib. 4. recopil. ubi legitur de quintar, alibi de quistar: sed priorrem lectionem veriore putat Azavedo *in l. 4. nu. 98 tit. 17. lib. 8. recopil.* Sed hæc constitutio corrigitur noviori Philippi II. quæ est lex 7. tit. 17. lib. 8. recopil. ubi sancitur falsos testes, & eorum inductores, ubi amissuri erant dentes, in triremes decennales condemnandos esse, & unâ in publicam traductionem ignominie: in causis criminalibus, in quibus infligenda erat pœna corporalis, in perpetuas, pariter cum ignominia. Gomez *in d. l. 83. Tauri, num. 7.* putat hodie talionem in usu non esse, sed in casu falsæ depositionis, ob quam mortis pœna erat infligenda, de quo agitur etiam in Novella 77. Leonis. Extrat novissima lex Philippi II. in d. tit. 17. Sacris etiam canonibus variis pœnis afficiuntur falsi testes in cap. confiteamur 3. quæst. 5. Ab Eusebio P. qui falsum testimonium dixit infamis declaratur: & quia testes falsi, & perjury sunt, si se scienter pejeraverint, quadraginta annis jejunare, unò anno à communione Eucharistica abstinere, & per septem penitere annos tenentur, cap. quicumque 6. quæst. 2. cap. qui sacramento 22. quæst. 4. nec post peractam penitentiam ad testimonium admittuntur, cap. parvulis 14. 22. quæst. 5. Presbyteri, aut Diaconi, si in causa pecuniaria inventi sunt falsum tulisse testimonium, in monasterium per triennium detruduntur, cap. si Episcopus 17. Sed l. presbyteri 8. Cod. de Episcop. & cler. l. 11. Cod. Theodos. de fide instrum. can. 24. Apost. perjurus clericus deponeretur, sed non interdiceretur communione. Ex qua constitutione similem sancivit Leo *novel. 76.*